1 Eme, & Rme Domine. VAno artificio fallacium argumentorum contrarius Restrictus componit factum de Capite suo, & per fabulosa ratiocinia, & speculationes ingenii summa facilitate credit saltare duos Processus, & duas Sententias condemnatorias Adversarii in pœnam Capitis depingendo illum quasi innocentem, & nullo crimine involutum, quandò tamen, si licitum foret, per diverticula Ratiociniorum suadere innocentiam ejus, qui reperitur non solùm processatus, sed etiam condemnatus per duas Sententias Capitales, actum esset de delictis, quia nemo Reus ostendi posset.

2 Hinc satisfaceret in universum ad totam faraginem contrarii Restrictus unica Responsio cæteroquin ab ipso recognita in §. *final.*, quod nempè eat Pars coram Judice competenti, sivè Criminali, sivè Archiepiscopo, & faciat revocari Sententias, & Processus dicendo ibi istas egregias rationes cum quibus modò comparet in hac Sacra Congregatione, & insupèr examinari faciat illos Testes, qui possunt deponere de visu homicidium illa nocte commissum, cum adhùc vivat Franciscus Ponce Socius Aduersarii, viuat Augustinus de Spinola, & vivat, adhùc una ex Puellis de Medina, qui soli sunt Testes idonei, & nulli alii in delicto occulto tamquam post mediam noctem commisso tempore, quo omnes Mortales dormiunt, & tunc reuocato Processu, & Sententiis, & obtenta absolutoria compareat ad petendos Honores, & Dignitates Metropolitanæ Hispalen, & tunc compareat ad petendam Dispensationem, dùm aliàs inaudita extravagantia est, quod Adversarius habendo super humeros Sententias mortis cum Processu Criminali prætendat hic, & nunc inturbidato cum ratiociniis toto Facto obtinere exorbitantem Dispensationem, & pro tanto delicto recipere præmium, & dignus esse, ut promoveatur ad Dignitates exclamante toto Jure nostro tam Canonico, quàm Civili, quod insamibus portæ non patent Dignitatum, ut sunt *Textus* aperti *in l. neque famosis C. de Dignit. lib.*11. ibi; *neque famosis, & notatis &c. & quos infamia ab honestorum cœtu segregat Dignitatis portæ patebunt: & in l. unic. C. de infamib. & in l. Reos C. de reis postul. lib.* 10. *& in cap. Omnipotens de accusat.* ubi Divus Gregorius ita rescripsit: *Valdè grave est, ut Vir, de quo tanta, & talia nunciantur CVM ANTE REQVIRI, ET DISCVTI DEBEANT honoretur*: & plenè *Gonzal. ibidem n.*4. *Amaya in l. unic. C. de infamib. lib.*1. *Mastrill. de Magistrat. lib.*3. *cap.*4. *num.*447.

3. Dicitur

3 Dicitur autem infamis infamia Facti, & Juris, qui est processatus, & condemnatus per Sententias Judicum; Sivè enim Sententia sit justa, sivè injusta, sivè lata à Iudice competenti, vel non semper notat infamia processatum, & condemnatum ad effectum, ut in hujusmodi statu infamiæ, in quo aliquis reperitur, numquàm prætendere possit se esse capacem honorum, & Dignitatum maximè Ecclesiasticarum, ad quas eligi debent homines magis idonei, virtute, & meritis citrà umbra cujuslibet criminis, aut infamiæ, ut communitèr advertunt per *Text. in l.*1. §. *Removet ff. de postuland. Amaya in l. unic. n.*5. *& seqq. C. de infam. lib.* 10. *Farinac. de Testib. quæst.* 56. *in prælud. num.* 3. *& seqq. & de delict. & pœn. quæst.* 18. *num.*9. *Passerin. de election. cap.* 25. *num.* 523. *cum plurib. seqq.* signantèr *num.*536. *&* 540. ubi hæc ait: *hæc infamia est indispensabilis*; eat ergò Adversarius ad suos Iudices in Partibus, se constituat, ut offert in Carceribus, faciat aboleri, & revocari Sententias prævia compilatione novi Processus cum Testibus idoneis, & non de auditu, & posteà compareat in Sacra Congregatione, & Dataria ad obtinendam Dignitatem.

4 Verum examinando singula, quæ consarcinantur in tota mole contrarii Restrictus, dicimus constare evidentèr de homicidio per Adversarium commisso una cum Ponce ejus Socio, quandò attendebat ad amores cum Puellis de Medina, & subsistere omnia deducta *in nostro præterito Restrictu*, non obstantibus coloratis speculationibus in contrarium; Et quidem constat de delicto ex Processu Tribunalis Laici, & Sententiis desupèr latis, quæ faciunt rem notoriam, & undique manifestam, præsertìm quandò Adversarius ratificavit Iustitiam Sententiarum non solùm per fugam à Loco Delicti, ad quem numquàm reversus fuit; sed etiam quia per spatium 12. annorum numquàm ausus fuit reclamare contrà Sententias Capitis, illasque revocari facere, numquàm tentavit, proùt de facili hoc obtinuisset, si Processus, & Sententiæ fuissent nullæ ex defectu Iurisdictionis, & injustæ ex defectu probationum ob recursum ad Superiores Ecclesiasticos, undè tantò magis Sententiæ, & Processus convincunt Adversarium huius abhominabilis delicti Reum propter suam acquiescentiam tanto tempore habitam in recognitionem Iustitiæ, & proprii delicti juxtà *Text. in cap. cum olim versic. & licet absenti de re Iudic. Farinac. de inquisit. quæst.* 11. *num.*97. *Sacc. de Judic. lib.*1. *cap.*97. *num.* 12. *Rot. dec.*486. *num.*9. *par.*14. cum aliis *in præterito Restrictu* §.26.

5 Infæliciter autem criticatur probatio deducta ex Processu cum variis speculationibus, quæ certè non immutant veritatem facti; Corruit enim primum suppositum, quod quatuor fœminæ de Medina cum duabus Ancillis non probent delictum, ex

quo

quo agatur de Puellis teneræ ætatis, & Consanguineis Occisi, quià ponenda est ad Partes tenera ætas quasi agatur de Infantibus, dum erant Puellæ nubiles; Qualitas autem fœminea juncta Consanguinitate cum Occiso sunt exceptiones ineptæ, & quæ audiri non merentur in Tribunalibus distinguendo, & non confundendo materiam, ut fieri debet; Hic enim agitur de delicto, de quo alii deponere possunt, & tunc verum est admitti hujusmodi genus exceptionum, aut verò agitur de delicto occulto, ut hic, patrato post mediam noctem, ubi alii Testes non aderant nisi illæ fœminæ, & tali Casu silere debent exceptiones qualitatis Testium, quià in subsidium ubi aliter probatio haberi non potest admittuntur fœminæ, Pueri, & quodcunque genus Musicorum & suscepti, & arcisuspecti, quià delicta non debent remanere impunita, & probatio sub Interrogatoriis Fisci plenissima habetur ad condemnandum ex Testibus etiam qui sint infames, pueri, Nebulones, & notati quibuscunque exceptionibus personalibus tam unicis, quàm pluribus simul unitis, duplicatis, & triplicatis, ut quidquid dicat contrarius Restrictus, est opinio assentata, & nota Lippis, & Tonsoribus, de qua *Felin. in cap. quoniam sub nu. 2. de Testib. Rip. de temp. nocturn. cap.56. num.6. & seqq. Farinac. de Testib. quæst. 59. num. 8.* ubi quod duæ fœminæ plenè probant delictum *Dec. cons.63. num.37. versic secundò respondeo Bajard. ad clar. in prax. crimin. §. final. quæst.24. num. 9,* plenè *Chartar. decis. crimin. 12. num. 14. cum plur. seqq.* ubi *num. 24.* advertit passim admitti mulieres ex consuetudine ad dicendum testimonium in Causis Criminalibus *Raynald. vot. crimin. 63. num.27. & vot.91. n.6. & vot.38. n.15.*

6 Quod procedit non ad effectum, ut Judicis animus instruatur, aut quandò Testes habent unam tantum exceptionem, non autem plures, sed in hujusmodi casu subsidiari, ubi aliter veritas haberi non potest admittuntur Testes inhabiles etiamsi plures patiantur exceptiones, maximè quandò, ut in præsenti Fiscus in Processu examinavit etiam Testes deponentes de publica voce, & fama, ut in puncto homicidij nocturni firmat *Raynald. vot.134. num.6. cum duob. seqq.* licet non percipiatur ubi consistat hæc inhabilitas Testium, quià qualitas fœminea non facit Testem inhabilem, sed immò habilem ad testificandum in criminalibus, ubi aliter veritas haberi non potest, ut disponunt Sacri Canones *in cap. Quoniam de Testib.* & notat *Chartar. decis.12. num.18.* ibi: *Sacri quoque Canones concedunt mulierum Testimonium in Causis Criminalibus recipi, ut probat Text. in d. cap. Quoniam de Testib.: Farinac. d. quæst.59. num.9.* & sic corruit hæc prima exceptio, & corruit altera de consanguinitate cum Occiso, quæ conquassatur

ſatur ex Amore, quo Puellæ proſequebantur utrumque Amaſium, vel eſt unica exceptio, quæ Teſtem non repellit in Caſu ſubſidiario, ubi aliter veritas haberi non poteſt, ut admittit *contrarius Reſtrictus* §.15. & latè *Farinac. de Teſtib. quæſt.62. num.33.* ubi in ſpecie, quod Teſtes inhabiles admittuntur, & probant in facto nocturno *Maſcard. de probat. concluſ.1109. num.12. Conciol. reſolut. crimin. §. Teſtis reſolut.4. num.4. Cyriac. controu.250. num.25.*

7 Fortiùs autem ſex Fœminæ plenam probationem homicidii conſtituerunt, quandò concurrunt tot adminicula, & conjecturæ latè deductæ *in noſtro præterito Reſtrictu* §.20. *& ſeqq.* ubi ſeptem adduximus circumſtantias convincentiſſimas, quæ ſimul junctæ probationem plenariam huius homicidii præſeferunt, & convincunt, addito duorum Iudicum Iudicato, quorum Iudicium fundatum ſuper Proceſſu negari non poteſt, quominùs ſufficientiam probationum declaret, & canonizet ad omnem effectum iuxtà *Text. in l.2. C. de Offic. Civil. Iudic. Alciat. de præſumpt. regul.3. præſumpt.9. num.1. Menoch. de præſumpt. lib.2. præſumpt.67. num.1. & per tot.*

8 Pars convicta ex hoc Proceſſu in linea probationis tranſcurrit ad ideale aſſumptum, quod ille non concludat in linea relevantiæ, prætendendo quod dicta Teſtium non probent Hieronymum fuiſſe occiſum ictu ſclopi ab Aduerſario, ſed ſolum ab ejus Socio Franciſco de Ponce, & ſub hac idea fabricat totum diſcurſum, ſed recurrunt in hac parte omnes probationes, & circumſtantiæ jam ſatis relatæ *in noſtro præterito Reſtrictu* §.16. *&* §.19. *cum ſeptem ſequen.* ubi probavimus ad euidentiam, quod Hieronymus occiſus fuit ictibus ſcloporum, quos habebat in manibus uterque tam Ponce, quam Adverſarius ex confeſſione utriuſque facta Puellis, ex recognitione pilarum plumbearum quæ collimarunt, & repertæ fuerunt in ea tantum parte, in qua ſtabat Occiſus, non autem in altera parte, ubi ſtaſtant Ponce, & Aduerſarius, ex rixa, & inimicitia præcedenti, ex deſtinatione redeundi illa nocte ad colloquium Puellarum aſſumptis ab utroque ſclopis, ex immediata fuga ſtatim poſt homicidium; & demum ex aliis quæ reſultant ex Proceſſu compilato de ordine Archiepiſcopi continente quinque Teſtes Sacerdotes de publica voce, & fama deponentes.

9 Non obſtant modò minutæ ſpeculationes in contrarium; Etenim confeſſio clara utriuſque facta Puellis ſubtus feneſtram ſtatim occiſo Hieronymo ibi: *Abbiamo ammazzato il loro Zio, già ſiamo perſi &c.* non inturbidatur ex ingenioſa reflexione, quod iſta verba pluraliter expreſſa proferri ſoleant etiam quandò unus inter plures ſimul conſociatos alloquitur; hæc enim ſubtilitas ponenda venit ad Partes, dum Puellæ depoſuerunt utrum-

utrumque protulisse hæc verba, & cum uterque esset armatus sclopo, uterque se auctorem fecerit homicidii: *abbiamo ammazzato*: vanitas est referre homicidium ad unum tantum, & magis vanum est referre potiùs homicidium ad Ponce, quam Adversarium; Nihil faciente ad rem, utrùm Hieronymus ictu unius, vel alterius remanserit occisus, super quo dixerunt fœminæ se nescire: *quale delli sopradetti ammazzò il detto suo Zio*; ut in *præterito Summario num.4.* hoc enim non excludit confessionem, quod uterque occiderit Hieronymum ex ore utriusque, sed respicit illud, quod de visu proprio fœminæ deponere poterant, quæ cum essent clausæ Domi cum fœnestra clausa, profectò scire non poterant: *quale delli sopradetti ammazzò il detto suo Zio*: ideoque est confusio facti, cum qua contrarius Restrictus confessionem prædictam enervare studet cum eo, quod fœminæ nescire dixerunt de visu proprio ergo stat simul quod illæ perfectè concludant confessione delicti factam ab utroque, quodque de visu proprio non viderint quis fuerit Occisor, seù ex cujus ictu Hieronymus fuerit percussus, & necatus, cum ista duo sint diversa, nec unum, quod respicit visum proprium, nolit alterum, quod respicit confessionem delinquentium plenè *Farinac. de Testib. quæst.65. num.55. & 263. Gabriel. de Testib. lib.1. conclus. 2. num.69. Rot. coram Card. Caprara decis.128. num.15. & in recen. decis.372. num.45. & 46. part.9.*

10 Sublato hoc æquivoco Facti tollitur etiam aliud æquivocum in Iure, quod scilicèt confessio Reorum non probet, ex quo præsumatur in Criminalibus facta ad instantiam; Etenim Doctores in contrarium allegati nihil concludunt ad rem nostram, dùm homicidium probari per duos Testes de auditu ab ipso homicida firmant numerosæ authoritates relatæ *in nostro præterito Restrictu* §. 17. & 18. & signantèr *Rot. dec. 1293. par. 3. lib.3. divers. Raynald. vot.153. num.4.* Authoritates autem contrariæ solùm quærunt, an sufficiat ista confessio ad condemnandum, seù potiùs ad torquendum, & aliquæ dicentes sufficere solùm ad torquendum posteà firmant sufficere etiam ad condemnandum, si unà cum supradicta confessione concurrant adminicula, & præsumptiones, ut legere est apud *Conciol. exadversò allegatum resolut. 12. num. 2. & 4. Farinac. quæst. 82. num.6. & seqq. Mascard. de probat. conclus.346. num. 6. Clar. in practic. §. final. quæst. 55. versic. unum tamen.* Adminicula autem abundant in casu isto ex Testibus de publica voce, & fama, ex inimicitia præcedenti, ex fuga, & tot aliis circumstantiis, *in nostro præt. Restrictu relatis*, & omninò relegendis.

11 Isti autem Testes de publica voce, & fama deponentes exami-

nati in Processu facto de ordine Reverendiss. Archiepiscopi in vanum criticantur, quatenùs ponunt de præcedenti rixa inter Hieronymum, & Delinquentes, quodque alia nocte armati sclopis accesserint ad colloquia Puellarum animo occidendi Patruum allegando, quod Fœminæ nihil de hoc deponant, quia quod Fœminæ hoc non deponant, non facit contradictionem cum Testibus hoc deponentibus, dùm isti supplent quidquid Fœminæ ignorabant tamquàm factum sequutum per dies antè, extrà eorum præsentiam, ut in individuo respondet *Rot. coràm Coccin. dec.* 2139. *n.* 14. *&* 15. ibi: *depositio istorum Testium non eliditur ex istis Testibus datis per societatem, quia stat simul, quod adsit publica vox, & fama Apostolici Privilegii, & quod ab aliquibus ignoretur, & propterea ignorantia istorum Testium non elidit probationem aliorum super ista fama*:

12 Magis inepta sunt ratiocinia ad enervandam depositionem Puellarum, quod nempè non sit verisimile, quod Iuvenes Amasii Puellarum loco alliciendi Patruum maximè pro Nuptiis eum occidere voluissent, & invitare deindè Puellas ad arripiendam fugam, quasi Correas delicti, & quæ exire non poterant clauso Domus ostio: Silere enim debent hujusmodi speculationes inutiles ad magis impinguandas paginas, dùm nimis probant contrà ipsum assumptum Partis, quæ prætendit Hyeronymum fuisse occisum ab ejus Socio, non autem ipso; & tamen hujusmodi ratiocinia tendunt ad probandum, quod neuter ex duobus occidere potuerit Patruum Puellarum, aliud ergò requiritur, quàm cumulare verba ad excludendum adeò horrendum delictum, nec Processus saltatur per verisimilitudines, & sicut Pars admittit, seù prætendit Ponce ejus Socium occidisse Hieronymum, ità nescitur, quo spiritu transcurratur ad probandam inverisimilitudinem, quod isti Amasii occiderint Patruum.

13 Verùm accedamus ad punctum, & videbimus, quod ab evidentia rei Hieronymus fuit ab utroque necatus per ictus sclopórum, quos uterque habebat; Et primò id resultat ex recognitione Cadaveris, ubi Judex recognovit Occisum habere in capite quatuor foramina pilarum plumbearum, & in parte, ubi stabat Occisus Parietem habere impressa foramina quinque pilarum absque eo quod ab altera parte, ubi stabant Ponce, & Adversarius, Paries repertus fuerit ullo signo perforatus *Summario. num.* 11. *litt. A.* aspectus autem in faciem Loci convincit omnes ictus sclopórum processisse ab Adversario, & Ponce contrà Hieronymum, dum Fœminæ coarctarunt audivisse: *alcuni spari*: & aliæ: *sentirono due spari da fuoco*: *Summar. num.* 2. 3. 4. *&* 5. 6. *&* 7. dum ergò pilæ plumbeæ fuerunt repertæ in loco tantùm ubi stabat Occisus, & explosiones fuerunt

funt plures, & non una, ergò uterque fuit Occisor Hieronymi, quandò tamen ad hunc effectum satis esset explosio sclo-porum ab utroque facta absque necessitate inquirendi, an occisio ictu unius, vel alterius sequuta fuisset, cum tali Casu uterque sit Homicida & reus homicidii juxtà *Textum* apertum *in cap. significasti* 18. *de homicid.* ibi: *quod si discerni non possit ex cujus ictu percussus interiit in hoc dubio tamquàm homicida debet haberi Sacerdos: & in cap. sicut dignum §. final. de homicid. Bonacin. de irregularit. tom.*1. *disput.*7. *qu.*4. *punct.*8. *proposit.*4.*n.*29.

14 Posita ad partes attestatione Notarii Balmaseda, qui fecit Processum Curiæ Laicalis, & post lapsum duodecim annorum deposuit, quod in alio Pariete ictus pilarum inventus fuisset impressus, arguendo exindè ictus fuisse reciprocos; Etenim cum in Notario post lapsum duodecim annorum præsumatur oblivio *Rot. dec.*289. *num.*8. *par.*17. *& dec.* 186. *num.*29. *par.*18. *& dec.*100. *num.*14. *par,*19. nil mirum quod ipse oblitus Processu crediderit circumstantiam adesse, quæ in Processu non reperitur, & non propterea, hæc attestatio remanet nullius momenti non solùm tamquàm erronea ex lectura Processus, sed etiam quià iste Notarius se habuit relativè ad Processum incertus an benè dixisset, ut legitur ibi: *ut latiùs patet ex dicto Processu &c.* AD QUEM SE REMITTIT DICTUS DECLARANS: per quam relationem, & remissionem reducitur Testis ad solum id, quod continetur in Processu, qui proptereà si non continet, sed excludit hanc circumstantiam, pariter Testis illum excludit, & non concludit, ut in terminis huiusmodi Testis relativi *Rot. coram Zarat. dec.*23. *nu.*25. *& dec.*38. *numer.* 6. *& in Pacen. Canonicatus* 26. *Junii* 1715. §. *Sextus denique Testis coram Eminentissimo Falconerio.*

15 Secundò coarctatur Adversarium cum Socio fuisse Occisores Hieronymi ab evidentia Facti, dum ex recognitione Cadaveris, de qua suprà certum est, quod Caput Occisi repertum fuit perforatum quatuor; Paries verò, ubi stabat, quinque pilis plumbeis pariter perforatus, quarum una altior statura Hominis visa est, ergo ad quod dubitare, an fuerit unus, vel uterque, qui occidit? Quando unus Sclopus non potest in se continere, & respectiuè explodere, nouem pilas plumbeas quatuor impressas in Capite, & quinque in Pariete; Ergò necessariò fatendum est, quod duo saltem fuerint Sclopi ob numerum pilarum plumbearum, quæ fuerunt ab illa parte explosæ; ipsa enim Rei euidentia ex aspectu satis conuincit duos Sclopos, & sic duos Occisores, non autem unum *Farinac. de inqui-*

 sit.

sit. quæst.2.sub nu.6. Conciol. resolut. Crimin. §. Corpus delicti resolut. 3. num. primo, Guazzin.ad defens.Reor.defens.4.cap.2. num.17.

16 Frigido existente obiecto, quod Processus, qui continet Testes, & simul recognitionem Cadaveris non sit integer, quià Pars legere debebat principium, ubi Notarius litteris claris dixit se registrare, & dare totum, quod continetur in Processu ibi: *il tenore di TVTTO, è come appresso*: nihil obstante expressione facta in fine Processus, ubi Notarius dicit acta ab ipso relata esse illa, quæ registravit: *e più largamente nella lite Criminale, che originale resta per ora in poter mio*: hæc enim est solita phrasis omniumNotariorum in fine ità semper dicentium: *Et alias latiùs, prout in actis &c.*, quæ non tollit integritatem omnium actorum, de qua testatur in principio ipse Notarius, & prout integritas ista de Jure præsumitur, ut benè in terminis notauit *Rot. dec.493.num.2.& seqq.coram Pamphil. & decis.147.num.1.coram Rembold.& dec.59.num.1.*ibique *Adden. litt.A.coram Gregor.*, addita præsertim alia expressione Notarii facta in principio, quod Processus esset hic, quem ipse: *Exhibet in debita forma cum Juramento necessario,quod pariter integritatem*: advertit *Adden. ad Gregor dicta decision. 59. num.7.*

17 Nec aliquid offuscat delictum adeo manifestum in persona Adversarii circumstantia, quod Hieronymus occisus continuò solitus esset incedere armatus cum Sclopis, quodque illa nocte haberet secùm Sclopos, quià deferret, vel non deferret hæc arma semper veritas facti est, quod ipse præuentus Sclopos non jaculauit eo ipso, quod demonstratur in ea parte, in qua stabant Aduersarius, & Ponce non fuisse reperta vestigia, seù signa plumbearum pilarum, prout inspici, & reperiri debuissent si Hieronymus exonerasset Sclopum aliquem, nec mirum, sed verisimile hoc est, quandò præmeditati duo Aggressores stabant prompti cum Sclopis ob rixam præcedentem parati ad necem miseri Patrui, qui eos præcedenter obiurgaverat, & semper verum est, quod solus Ponce, & Aduersarius Sclopos suos exonerarunt contrà infælicem Patruum ad suos lares redeuntem, ut probat *Raynald.vot.Crimin.20. n.24. & vot.18. n.6.Farinac.qu.121.n.118.*

18 Pariter gratis supponitur, quod colligatur ex Mappa ictus fuisse reciprocos, quia talis Planta facta fuit de Capite Partis cum signis in pariete adverso relativè ad attestationẽ Notarii, quam supra ostendimus erroneam, & nullius momenti; Quod verò recognitio Cadaveris cum circumstantiis facta fuerit oscitanter,

tanter, & prætermiserit recognitionem in pariete aduerso est aliud fabulosum suppositum Partis omnia sibi figurantis, sed nihil probantis, cum inauditum sit recognitiones, quæ fieri solent per Tribunalia pro recognoscendo corpore delicti fieri solere oscitanter, & recognita una, & non aliis circumstantiis; Sicut enim ex recognitione habetur fuisse factam inspectionem murorum, qui erant proximi ad Cadauer Occisi, & solum reperta fuisse signa in pariete, ubi projectus stabat Occisus, ità dum talia signa non fuerunt recognita in alio pariete aduerso fatendum est non hoc fuisse omissum, sed non visum, nec aliquid repertum, quod posset describi, quià numquam præsumptio est pro negligentia in Iudicibus, & Tribunalibus, maximè criminalibus in actu recognitionis corporis delicti, quæ fieri semper solet exactissimè ad effectum castigandi delicta ad vindictam publicam ad notum *Text. in l. Meritò ff. pro socio Menoch. de præsumpt. lib.6. præsumpt.77. num.3. Raynald. vot. crimin.40. num.25. Farinac. quæst.50. num.31. Rot. decis.111. num.9. & seqq. part.17. recen.*

19 Neque homicidium ab utroque commissum excludunt melliflua verba de suavitate indolis D. Adversarii onerando Franciscum Ponce tamquam Virum trucem, & crudelem, quià suavitas indolis allegari non potest in nocturno Amatore prævia rixa cum Patruo Amasiarum, redeunte ad prohibita colloquia simul cum Socio Ponce, qui crudelis vocatur, assumpto etiam alio Socio de Spinola, & assumptis insuper armis ad vindictam, quæ connaturalis est omnibus, sed maximè Juvenibus amore captis, & sic etiam Consanguinitas Adversarii cum Occiso poterat omitti cum ista Consanguinitas egrederetur longè quartum gradum in nulla consideratione ad hunc effectum habenda, minusque juvat declaratio ipsius Adversarii, cum abhorreant Jura nostra in materia præsertim delicti credendum esse assertioni Delinquentis quantumvis juratæ: *omnibus enim in re propria dicendi testimonium facultatem Jura submoverunt:* ut ait *Textus in l. omnibus C. de Testib. & in l.1. ff. ne quis in Caus. sua judic.*

20 Tertiò delictum Adversarii convincit fuga immediatè facta extrà Civitatem, quod non continet insignem fallaciam in Jure, & Facto, ut incongruè transcurrit his abundando contrarius Restrictus, quià quod fuga faciat indicium criminis indubitatum est in Casu isto, ubi arrepta fuit non post incœptam inquisitionem, vel accusationem, ut æquivocatur, sed immediatè antè ullam inquisitionẽ facta illa met nocte in qua Adversarius commisit homicidium dicentibus ipso, & Socio ad Puellas: *già*

 siamo

stiamo persi vogliono lor altre Signore venirsene con noi altri &c. e *con questo nell'istesso istante se ne partirono fugendo* = & sic retorquentur authoritates in contrarium relatæ firmantes fugam antè inquisitionem facere indicium criminis = *cum illa dicatur sequuta ex propria criminis conscientia* = , vt apud *Conciol. exaduerso allegatum in verbo fuga resolut.1. num.6. Farinac. de indit. quæst.48. num.27. & seqq. Mascard. de probat. conclus.819. num.13. & seqq. Menoch. de præsumpt. lib. præsumpt.89. num.89.*

21 Gratis etiam negatur hæc fuga extrà locum, & Territorium Monarchiæ supponendo, quod Aduersarius moratus fuerit per octo menses in Ciuitate Gaditensi, quià corruit in Facto totum hoc suppositum, cum semper absens fuerit Aduersarius extrà statum, & solùm occasione extorquendi prouisionem huius Archidiaconatus pro eius habenda possessione sibi fecit animum transmigrandi ad Ciuitatem Hispalen. postquam fugitiuus remanserat per spatium 12. annorum, & hoc est illud, quod dicit Archiepiscopus in sua Relatione ibi = *post obtentionem Archidiaconatus per plures menses commoratus sit* = hoc etiam dicunt Testes dati in *Summ. Partis num.16.* licèt isti Testes sint modò expiscati in Vrbe, & ad complacentiam Partis se subscripserint, quorum vnus stimulis conscientiæ ad actus negauit subscribere fidem, & solùm dixit = *Dichiaro esser venuto con D. Diego Villauincenzo à Roma nel mese d'Aprile* 1724. = Videant ergo Eminentissimi PP. quibus egregijs suppositis fiant ratiocinia redarguendo nostra clarissima Facti supposita tamquam æquiuoca, fallacia in Iure, & Facto.

22 Et poterat omitti aliud graue æquiuocum refricando Testimoniales Archiepiscopi, in quibus asseritur Aduersarium non esse processatum, neque inquisitum ibi = *vsque ad annum millesimum septingenoesimum vndecimum* Certè dixit veritatem in hac parte, dum vsque ad annum 1711. non fuerat commissum homicidium, quod successit de mense Iulij anni 1712., & sub hac rubrica æquiuocorum continuat series contrarij Restrictus, qui etiam omittere poterat ratiocinia super inuerisimilitudine circà fugam ex quo Aduersarius tamquam Clericus, & Beneficiatus non esset subiectus Tribunali Laico, cui ad euitandam confusionem respondetur infrà suo loco.

23 Quartò nihil respondet contrarius Restrictus ad circumstantiam, quod ex Processu compilato de ordine Archiepiscopi constet de rixa præcedenti Aduersarij, & Ponce cum Hieronymo Occiso, qui eos deprehendit in colloquijs nocturnis, si enim vterque dabat operam rei illicitæ in his nocturnis colloquijs, quæ tempore suspecto, & extrà præsentiam Consanguineorum, qui tunc dormiunt tunc omninò prohibita, & malè olent etiam in ijs, qui desponsare prætendunt, ne priùs fiat consumatio, quàm contractus Matrimonij,

& ne

& ne hoc posteà defraudetur iuxtà resolutiones Sacræ Congregationis apud *Nicol. in Floscul. in verb. sponsalia num.2.* Si vterque deprehensus habuerat rixam, & iurgia cum Hieronymo Occiso; Si vterque ad se vlciscendum alia nocte reuersus fuit ad rem prohibitam, vterque armatus sclopis, vterque communem causam habens in amore ergà Puellas de Medina, quommodò saltatur hæc circumstantia vnita cum tot alijs, & cum Processu Tribunalis Laici? Quandò totum hoc resultat ex Processu compilato de ordine Archiepiscopi continente examen quinque Sacerdotum, quibus de publica voce, & fama deponentibus deferendum est tamquàm Iudicialibus, qui ex duplici Capite præferri debent, & attendi comparatiuè ad quascunque expiscatas attestationes, fides, & suprafides posteà expiscatas ab Aduersario; Quià sunt Iudiciales de ordine Archiepiscopi examinati mediante subdelegatione facta antiquiori Parochorum, vt passim firmauit *Rot. decis.272. num.11. coram Priol., & decis.239. num.8. & seqq. coram Gregor., & decis.306. num.12. part.17., & decis.2. num.6. part.15.*, & secundo, quia isti Testes Sacerdotes de publica voce, & fama habent fundamentum ex Processu Curiæ Laicalis, & sententijs desuper emanatis.

24 Quintò nihil respondet contrarius Restrictus ad aliam circumstantiam, quod Aduersarius ratificauit delictum per acquiescentiam 12. annorum, quando sicut Pars sibi blanditur poterat recurrere ad Superiores Ecclesiasticos pro auocatione causæ, & nullitate Processus, & sententiarum, & quando poterat examinare Testes ad sui defensionem, non autèm saltare delictum cum ratiocinijs, vt modò summa facilitate prætenditur, sicut ergò arrepta fuga per 12. annos passus fuit Aduersarius super humeros suos duas sententias Capitales præuio Processu, nec reclamauit vnquam, aut allegauit Clericatum, aut nullitatem Processus, & sententiarum, dicat modo, quod erat innocens dicat, quod erat nullus Processus, & dicat se dignum esse honorari conspicua Dignitate Ecclesiæ Hispalensis, nàm delictum si ratificatur ex fuga, eo magis ex acquiescentia per tot annos habita etiamsi agatur de sententijs in contumaciam latis, quæ post annum ratæ remanent, & firmæ approbationem delicti *Rot. decis.486. num.9. part.14., & decis.313. num.8. part.18., & in Romana reintegrationis* 14. *Iunii* 1700. §. *Proùt neque coram Emo Scotto.*

25 Sextò pulcra fuit ista innocentia iuxtà quam Teste experientia habemus, quod omnes alij reconciliati fuerunt habita pace cum Parentibus Occisi, & solus Aduersarius est ille, qui non potuit propter suam innocentiam obtinere pacem ab hæredibus, & consanguineis Occisi, vt resultat ex Processu Reuerendissimi Archiepiscopi præterito *Summario num.1. litt.I. & D.* & quod notabile est ipse Archiepiscopus testatur se nouissimè rogatum ne Aduersarius

 po-

poneret amplius pedes in Patria, & Diæcesi Hispalen. *Summario num.22.* nihil faciente ad rem pace obtenta ab vno tantum Consanguineo scilicèt Aloysio Medina Fratre Occisi, quià cum Occisus habeat etiam nunc Aluarum alium fratrem Germanum, nec non Ferdinandum, & alios Nepotes vnà cum Filia Occisi, qui omnes exclamarunt ad pedes Archiepiscopi in his terminis vanum est ponere antè oculos pacem vnius tantùm Consanguinei quæ nihil suffragatur, cum ad huiusmodi effectum requiratur, quod saltem maior pars Consanguineorum concurrere debeat ad pacem vt ait *Bonfin. cap.33. num.12* ibi = *Pacem validari si à maiori Parte Filiorum, vel hæredum, seù Proximiorum fiat* = *Farinac.qu.14. num.15. Vulpell. tractat. de Pace quæst.19. in fin.* ità vt pax data ab vno ad nihil inseruiat, nec alios Consanguineos afficiet, vt dixerunt *Decian. tract. crimin. lib.3. cap.34. num.17. Raynald. oper. crimin.tom.4. supplet.2. ad cap.23. num.5. & seqq. Bonfin. d. cap.33. n.62.*

26 Septimò nihil respondet contrarius Restrictus ad Iudicium duorum Iudicum duplicis Tribunalis Laici qui suas sententias protulerunt contrà Aduersarium in pænam Capitis maximè cum Tribunal Granatæ non sit Iudex singularis, sed componatur ex Præside cum octo Consiliariis, vbi nihil inseruit allegare defectum Iurisdictionis, cui respondebitur infrà, quià etiam in linea priuatorum Doctorum multum considerabile est Iudicium tot Insignium Virorum qui ità iudicarunt Aduersarium reum delicti, & in pœnam Capitis damnarunt dicente *Textu in cap. prudentiam de Offic. delegati* quod = *integrum est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur* = & in *Can. extrà Conscientiam distinct.64. & in l.vltim. ad fin. C. de fideicomm. Gloss. in d. cap. prudentiam in verb. plurimorum* ibi = *Quod enim à pluribus quæritur sapientibus faciliùs inuenitur, & per ampliores Homines perfectissima veritas reuelatur.*

27 Et Octauò demùm semper vrget publica vox, & fama contrà Aduersarium ex laudato Processu Reuerendissimi Archiepiscopi, cui contraponi non potest examen Testium procuratum ab ipso Aduersario ad instantiam Partis, cum isti non audeant contradicere circa publicam vocem, & famam, sed solum dicunt, quod hæc posteà cessauit addendo excusationes ad instar Defensorum, & Iudicum & sic egrediendo lineam Testium, quorum est testari de ijs, quæ sunt Facti, non autèm allegare rationes, & excusationes Iuris *Rot. coram Emerix Iunior. decis.132. num.5., & decis.612. num.8., & coràm Dunozzet. Iun. decis.829. num.8.* Sed maximè in concursu Processus Iudicialis facti ab Archiepiscopo, & alterius Iudicialis facti per Curiam Laicalem cum Sententijs condemnatorijs, *vt in decis.306. num.12. part.17., & decis.272. num.11. coram Priol.*

Con-

28 Conuicta Pars in linea releuantiæ de homicidio per ipsam patrato simùl cum Socio ex Processu Laicali, & Sententijs adminiculato ex nouissimo Processu Reuerendissimi Archiepiscopi recurrit ad motiuum nullitatis ex defectu Iurisdictionis contrà Clericum, & Beneficiatum cumulando ad hoc massam plurium æquiuocorum. Corruit enim suppositum, quod Aduersarius esset Beneficiatus, ex quo possideret Cappellaniam, dùm hæc Cappellania est Laicalis, non autem Beneficium Ecclesiasticum, vt clarè probatur, quia Aduersarius fuit prouisus de Cappellania sub die 5. Maii 1709., & in Visitatione habita 5. Augusti 1709. eam possidebat *Summario in Calce Num. Primo, & 2.* Aduersarius autem longè post obtinuit Clericatum, seù primam Tonsuram nempè 8. Septembris 1709. *Summario in Calce Num.3.* Ideoque si Cappellaniam obtinuit, ac possedit antequàm esset Clericus primæ Tonsuræ illa indubitanter est Laicalis dum Ecclesiastica non potest conferri nisi Clerico, sed Laicalis confertur Laicis, Pueris, tamquam quid temporale ad instar Maioratus, & Fideicommissi, & bonorum Laicalium, vt tradunt *Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Glos. 5. num. 26. Amostaz. de Caus. pijs lib. 3. cap. 2. num. 43., & apud Me discept. Eccles. 19. num. 16. in fin., & de Controu. Patron. allegat. 33. num. 2.*

29 Ac etiàm quià huiusmodi Cappellania fuit concessa etiàm Religiosis Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, & Dominicanis *Summario in Calce Num. Primo litt. B., & Num. 4.* quo Casu dicitur merè Laicalis, non verò Ecclesiastica, vt testatur *Eminentissimus Dominus meus Card. Petra in Comment. ad Constitut. Apostol. ad Const. V. Gregor. XI. num. 18. tom. 4.* referens ità resolutum per Sacram Congregationem *in Mileten. Cappellaniæ 27. Nouembris 1694. & 11. Iunij 1695.*

30 Et de facto Reuerendissimus Archiepiscopus in suis Testimonialibus Aduersarium asseruit esse simplicem Clericum non autem Beneficiatum, & nunquàm Cappellania dicitur Ecclesiastica nisi erecta fuerit auctoritate Ordinarij, non obstante quod dicatur fundata in Cappella, & sub inuocatione Sancti, vt firmat *Rot. decis. 5. num. 12. in Mantiss. ad Card. de Luc. tom. 4. num. 13.*, & non obstante Visitatione Episcopi, quia Episcopus habet Ius Visitandi omnia Opera pia, & etiam Cappellanias Laicales circà adimplementum Missarum iuxtà Concil. Trident. *Sess. 22. cap. 8., & 9. de Reformat.*, & latè *Amostaz. de Caus. pijs lib. 3. cap. 2. num. 34., & seqq., Pasqualig. de Sacrific. Miss. quæst. 1046. num. 3. Rot. coràm Seraphin. decis. 611. num. 6.* & sic cessat hoc motiuum Clerici Beneficiati.

Cessat

31 Cessat etiã motiuũ Clericatus ad prætendendã nullitatẽ Processus, & Sententiarũ Curię Laicalis, quià tempore patrati delicti Aduersarius non incedebat in habitu & tonsura, sed in habitu Militari, & Laicali, vt deponunt duo Testes dati in *præterito Summ. n.*23., qui non deponunt de simplici auditu à Notario criminali, sed Notarius est ille, qui se rogat de depositione alterius Notarij Lopez in præsentia Testium Sacerdotum, & depositio cantat, quod Aduersarius habitu Militari indutus incedebat, & hoc publicum erat ibi = *quià publicum erat* = nec facit refricatio qualitatis beneficiati ad hoc excludendũ dũ agitur de Cappellania Laicali obtenta ab Aduersario, dùm erat Laicus, & non Clericus, sed quid dicemus vbi probatio, quod non incederet Aduersarius in habitu Clericali resultat ex alijs pluribus; Primum quod Aduersarius numquam probauit, nec probare vult ipsum tunc incessisse in habitu Clericali, & non obstante, quod ex parte nostra data fuerint Memorialia Sacræ Congregationis remissa Archiepiscopo, vbi exprimebatur delictum commissum ab Aduersario in habitu Laicali, numquam tamen Archiepiscopus respondere voluit ad hanc particularitatem ob propensionem ergà Aduersarium, vt probauimus *Summ. præterito n.*26. secundò resultat ab ipsa rei euidentia, quià, quando Iudex Laicus perquisiuit Cubicula Domus Aduersarii ad effectum capiendi Personam, & posteà alio tempore ad effectum confiscandi bona, nequè mater, nequè Germanus Frater Aduersarij opposuerunt de Immunitate Ecclesiastica quoad bona Clerici, eiusque Domum, & nullitatem Processus, sed solum dixerunt ipsum possidere 80. Ducatos, vigore quorum ordinatus fuerat, seù Clericatus, quæ circumstantia demostrat illum non fuisse repertum in habitu Clericali, sed Laicali.

32 Tertio Curia Ecclesiastica in delicto adeò publico videndo, & sciendo Procesum Iudicis Laici non se opposuit Tribunali Laico, nec excommunicauit, neque sub pæna excommunicationis inhibuit eidem sed passa fuit tàm Procesum, quàm Sententias in duobus Tribunalibus latas contrà Aduersarium acquiescendo sempèr per spatium 12. annorum etiàm vsquè in præsens, vbi Archiepiscopus hodiernus nec etiàm hoc prætendit.

33 Quartò accedit, quod dùm pendebat Procesus de anno 1712. præstita fuit assistentia per Vicarium Ecclesiasticum Iudici Laico ad effectum perquirendi Aduersarium in Locis Immunibus, *vt in præterito Summario Num.*24., quæ circunstantia male impugnatur in contrario Restrictu tamquam non probata per simplicem enunciatiuam cum enim ita aserat hodiernus Promothor Fiscalis Curiæ Ecclesiasticæ occasione petendi à Tribunali Regio Granaten. Procesus, & Sententias nescitur quommodò Pars sibi licitum faciat redarguendi asser-

assertionem Officialis Ecclesiastici quasi delinquentem in Officio, & in præiudicium Immunitatis; Vltra quòd ipsa rei euidentia id satis probat; Quommodò enim Iudex Laicus poterat facere inquisitionem per Ecclesias, Monasteria, & loca immunia, si non habuisset licentiam, & assistentiam Iudicis Ecclesiastici? vt constat ex Processu de hac perquisitione facta in Monasteriis Regularium *Summario Num.* 12. Posito enim antecedenti scilicet perquisitione in Locis immunibus præsumitur, quod de Iure erat necessarium, vt ait *Mascard. de probat. conclus.* 734. *num.* 1. *Paris. de Resignat. lib.* 11. *quæst.* 14. *n.*24. *Barbos. axiom.* 53. *num.* 26.

34 Contrarius Restrictus hoc facto oppressus recurrit ad malè applicatam terminis nostris Conclusionem, quod Processus, & sententiæ semper sint nullæ, ex quo agebatur de Clerico beneficiato, cum hoc suppositum corruat ex prædictis, & postea dicit, quod etiam in simplici Clerico non procedit subiectio ergà Forum Ecclesiasticum si tempore delicte, & Processus incedebat in habitu laicali, quià potuit Clericus illum reassumere, & sic probandum sit, quod desertio habitus successerit etiam post delictum, sed est confusio Conclusionis, quià Doctores desuper allegati dicunt quidem gaudere exemptione Clericum, qui reassumpsit habitum post commissum delictum quoad Personam tantùm, ut ex *Ricc. in verb. habitus Clericalis num.* 2. *&* 3., sed non dicunt, nec umquàm dicere somniarunt, quod quandò Clericns in actu commissi delicti iam deseruerat habitum, & Tonsuram sit nullus Processus non probato quod duraverit desertio habitus etiam post delictum, quod requiri erroneum est, nam data semel desertione hæc præsumitur continuata, nisi probetur reassumptio habitus Clericalis; quæ idcircò probanda est ab Allegante, non autem præsumenda tamquàm quid facti juxtà notum *Text. in l. in bello §. facta ff. de captiv. & postlimin. revers.*, quià continuatio præsumitur, & non variatio, & hæc continuatio ultrà præsumptionem Juris probatur ab observantia Curiæ Ecclesiasticæ, & Adversarii propter acquiescentiam, & pacificum silentium spatio 12. annorum, & ultrà, & usquè in præsens iuxtà *Text. in l. si quis* 6. §.1. *ff. de pœn.* ibi: *Nec enim debebat tam magnam rem tamdiù retinere: Rot. decis.* 667. *numer.* 18. *coram Emerix Iunior.*

35 Diximus in Restrictu, quod propter desertionem Habitus Clericalis cum ratificatione Curiæ Ecclesiasticæ validissimus fuit Processus Curiæ Laicalis cum Sententiis desuper latis iuxtà authoritates *in præterito Restrictu* deductas §. 29. & 30., & posteà adiecimus, quod necessaria non erat ad hunc effectum validitas Processus, & Sententiarum, dùm res erat in casu probandi purum factum homicidii commissi, ad quem effectum Processus, & Sententiæ in linea puri facti sufficientes erant ad probationem, dum

hodiè

hodiè non agebatur ad condemnandum, sed ad probandum Irregularem ex Causa homicidii voluntarii, ubi sufficiebat exhibere oculis Sacræ Congregationis probationem homicidii per Testes, & Sententias, licet non essent validæ ex defectu Iurisdictionis adducendo authoritates, quod Iudex Ecclesiasticus fidem præstare possit, & soleat Processibus Iudicis Laici, maximè ad instructionem Facti, ut latè *in præterito Restrictu* §.31.32. & 33. *cum seqq.* adducta præsertim circumstantia, quod pro instructione Sacræ Congregationis Archiepiscopus quæsiuit Processum ab ipso Tribunali Laico ad probationem delicti, & insuper in eius sequelam compilavit alium Processum quinque Testium Sacerdotum super publica voce, & fama; Vndè satis declaratum erat coràm Superiore Ecclesiastico de attendendo ProcessuCuriæ Laicalis ad instructionem, & probationem.

36 In hoc puncto vacillat contrarius Restrictus recantando, quod Processus est irrelevans ex defectu probationum, cui supra satis responsum est, & respondendo insuper aliud esse, quod Processus inserviat ad instructionem, & aliud ad exequutionem quod præcisè retorquetur quià Processus coram Judice Ecclesiastico non debet instruire ad exequutionem pro condannando Adversario in pœnam Capitis, sed ad instructionem, ut Sacra Congregatio recognoscat ex his probationibus Aduersarium esse reum huius homicidii, & simul esse in Statu periculoso ob accensas Sententias condemnatorias ad ultimum supplicium non composito Fisco, neque satisfacta Parte, & quod adhuc in hoc rerum sistemate petatur à Sede Apostolica promotio ad Dignitatem, petatur misericordia, & gratia ad dispensationem pro Dignitate obtinenda, quod certè in his terminis numquam fuit auditum.

37 Omissis iterùm refricatis Testimonialibus Archiepiscopi loquentibus usque ad annum 1711. & omissa benevola Relatione ipsius recenter transmissa, quæ conuincitur ex proprio Processu, ut in *nostro præterito Restrictu* §. 37. poterat contrarius Restrictus omittere ad maiorem sui longitudinem quidquid opponit contra nostrum motivum, in quo diximus Promothorem Fiscalem Curiæ Ecclesiasticæ requisiuisse Processum ab ipsa Curia Laicali, & Archiepiscopum in eius sequelam pro maiori Informatione Sacræ Congregationis fecisse Processum super publica voce, & fama illorum quinque Testium Sacerdotum, non enim contrarius Restrictus huic motiuo satisfacit plura dicendo, & nihil concludendo, nam quod Processum Curiæ Laicalis requisiuerit ab ipsa in sequelam mandatorum Sacræ Congregationis pro integra Informatione Facti hoc ipsum probat veritatem Facti esse desumendam ex Processu Curiæ Laicalis iunctis aliis Testibus noviter examinatis, aliàs ad quid requirere Processum Curiæ Laicalis pro Informatione Facti, si postea tot Cantilenæ essent faciendæ contra

hunc

hunc Procesſum in linea facti examinatum ad alium effectum, quam condemnandi, quià probationes ſuperfluæ, & inutiles numquam cenſentur demandatæ, & tranſmiſsæ reſpectivè juxtà *Text. in l. Approbationem C. de probat. Rot. coram Mantic. deciſ.216. num.1. & coram Merlin. deciſ.807. num.3. & in Caſtellana validitatis Concordiæ, seù Bipartitæ ſuper Remiſſoria 4. Februarii 1705. §. Reiectus coram Molines.*

38 Sibi fingit contrarius Reſtrictus objectum remanere in diffamatione, & ità ſibi opponit, & reſpondet; Delendum eſt hoc ſuppoſitum; Aliud enim concurrit in caſu iſto, quàm diffamatio; Si enim conſtat de Proceſſibus, & Sententiis condemnatoriis, in pœnam Capitis, conſtat de delicto poſitivo, non autem de diffamatione ſimplici, quæ conſiſtit in opinione, ob quam gravata ſit fama alterius, & ideò opus non eſt reſpondere in hac ſuppoſitione, in qua contrarius Reſtrictus ſe collocavit; Verumtamen etiam in hoc puncto aberrat, repetendo, quod validum fuit quidquid prævio Proceſſu judicarunt Tribunalia Principis Laici, dùm amiſerat Privilegium Fori Eccleſiaſtici Adverſarius ob deſertionem habitus, & ratificavit Curia Eccleſiaſtica ex ſupradictis omnia geſta in Tribunalibus Laicis; Immò ubi etiam de hujuſmodi puncto validitatis Proceſſus, & Sententiarum dubitari poſſet, ſemper ut diximus conſtat de delicto adeò ſolemniter probato, & ſic adeſt infamia Facti, & Iuris, quæ inducitur per probationes, & Sententias etiam Iudicis Laici, neque contrariæ Authoritates oppoſitum firmant, dùm ſolùm adducunt Reſolutionem Sacræ Congregationis, quod Presbyter Sarſinaten. fuerat in contumaciam à Iudice Laico condemnatus, utì particeps homicidii, *cuius verè ipſe innocens erat*, ut videre eſt apud *Fagnan. in Cap. Veſtra num. 138. de cohabit. Cleric. & Mulier. Pignatell. conſult.99. num. 24. tom.6.* quod eſt extraneum à terminis noſtris, ubi Adverſarius tantùm abeſt, quod ſe jactare poſſit Innocentem, ut Reus manifeſtus homicidii convincatur ex omni parte, & per omne genus probationum, & ſe conſtituat in Carceribus, ut contrarius Reſtrictus exhibet *in §. final.* & cognoſcet tùnc, in quo Innocentiæ ſtatu reperiatur.

39 Sic etiam Authoritates contrarii Reſtrictus *in* §.44. ſunt malè applicatæ ad caſum veluti loquentes de homicidio caſuali ſequuto per unum ex pluribus, qui lapidem projecit manente in obſcuro quis illorum percuſſiſſet cum lapide; Undè ſtante illa caſualitate, & dubietate, in qua abeſt malus animus Agentium meritò Doctores excuſant ab Irregularitate, neſcitur autem quod genus doctrinarum ſit iſtud dignum applicatione ad caſum noſtrum, ubi agitur de homicidio penſato cum rixa præcedenti de homicidio commiſſo cum armis ad locum prohibitum in colloquiis amatoriis per duos Iuvenes in fervida Iuventute tranſcurrentes ad vindi-

ctam,

ctam, ut distinguendo tradunt *Majol. de irregularit. lib. 5. cap. 48. §. 4. num. 8. et 9. Bonacin. exadu. allegatus disput. 3. quæst. 4. punct. 8. proposit. 4. num. 29.*

40 Opponitur idealis, & erronea circumstantia, quod agatur de Iure quæsito, & non quærendo in hoc Archidiaconatu cum supposito, quod agatur de Gratia facta cum dispendio notabili, & similibus quod sanè intolerabile æquiuocum est, quia prima Gratia, vigore cuius perdidit Aduersarius miserè pecunias suas, fuit nulla ob rotundam subreptionem occultando Papæ, quod erat Irregularis, quod erat homicida, quod erat processatus in Curia Laicali, quod demum habebat duas Sententias super humeros condemnatorias ad vltimum supplicium, propter quod sine principio dubitandi Gratia præsertim ad Dignitatem remansit subreptitia, & nulla non solùm ex Capite Irregularitatis, sed etiam infamiæ juxtà *Textus in cap. Omnipotens de accusat.*, & alios in principio huius Responsionis relatos, & in præterito *Restrictu* §. 13., & nullitatem confessus est, & recognovit ipse Aduersarius dando supplicationem pro noua Prouisione ex integro præuia dispensatione, quæ Provisio, & dispensatio sunt in quæstione hòdierna, & quæ concedi non debent Homicidæ, & Jrregulari, & notato infamia facti, & Juris: Ergò ubi stat Gratia facta? ubi stat Ius quæsitum? Certè Aduersarius agit de Iure quærendo in hac noua prouisione ex integro cum dispensatione, quæ noua Prouisio non fuit concessa per Datariam ob necessitatem adeo exorbitantis dispensationis, sed remissa ad examen huius Sacræ Congregationis ideoque agitur de Iure quærendo per nouam prouisionem Archidiaconatus, & nullo modo agitur de Jure quæsito, numquam enim dicitur Ius quæsitum, quod adhuc pendet sub Judice, an sit concedendum, vel non juxtà *Text. in d. cap. Omnipotens de accusat., & in leg. Reus C. de Reis postulat. lib. 11.*, & plenè *Gonzal. in cap. Omnipotens de accusat.*, & *Textus in Can: infames 6. q. 1. Lotter. de re benef. lib. 3. q. 33. n. 59. et. seqq. Rot. dec. 323. n. 20. par. 16. recent.*

41 Textus *in cap. accedens de accusat.* retorquetur etiamsi concurreret simplex diffamatio nam primò loquitur de eo, qui habebat Jus quæsitum in beneficio, quod ei collatum fuerat; & secundò dicit, quod executio collationis adhuc dari non deberet, si ille *de homicidio publicè fuerit diffamatus*, quo Casu attenta diffamatione etiam in Jure quæsito non potest dari exequutio, sed abstinendum est; fortiùs ergò respectu eius, qui non habet Jus quæsitum mediante pacifica collatione, ut inquit *Gloss. in dicto cap. accedens in verb. publicè* ibi: *hic alia ratio est, quià jam fuerat Institutus per Dominum Papam, nec deerat sibi nisi sola possessio, undè mitti debet in possessionem, nisi esset publicè infamatus, propter quod differtur, quia etiamsi iam esset in possessione, propter*

tan-

tantam infamiam, & scandalum deberet suspendi, usquè ad purgationem, sed ubi non est infamatus non debet differri exequutio SECVS IN IIS QUI ADHUC NON HABENT PLENUM JUS: Undè nescitur, quid involuat contrarius Restrictus requirendo, quod accusator legitimus adveniat cum probationibus, & convincat Reum, in his enim, quæ publici Juris sunt proceditur tam ad accusationem, quàm ex Officio Judicis, ità ut sufficiat unum, vel alterum concurrere ad incurrendam infamiam Facti, & Juris, quæ sit purganda per probationes contrarias juxtà allegatum *Textum in cap. Omnipotens de accusat.*

Frustra etiam sibi blanditur adesse purgationem cum illis insubsistentibus ratiociniis, & argumentis in contrario Restrictu fabricatis ad saltandum duos Processus cum totidem sententiis Capitalibus, quandò tamen notissimi Juris est, quod requiruntur probationes faciendæ per Reum præciso Processu, & se constituendo in Carceribus, & non sufficiunt istæ verbalitates, & argumenta, quæ non dissipant Processus, nequè Sententias; Nequè Testes exadverso expiscati sunt habiles ad probandum aliquid minimum, nam ultrà formalitatem, quod deficiunt interrogatoria Fisci sunt inutiles in substantia, quià homicidium nocturnum non potest deponi nisi per Testes de visu, quales sunt dumtaxàt illæ Fæminæ examinatæ in Processu Curiæ Laicalis, & quales sunt Franciscus Ponce, qui adhùc vivit, & particeps homicidii fuit, & Augustinus de Spinola, & præter hos morti vanitas est ambulare cum Testibus nihil scientibus de visu, & post 13. annos examinatis tantùm super publica voce, & fama, qui in hac parte retorquentur contrà Adversarium.

Hic autem applicare Absolutionem ad Cauthelam est confundere veritatem facti cum ista Absolutio procedat in Casu subreptitie figurato per Adversarium, quod nempè non fuerit nec particeps, nec cooperator facto, vel Consilio ad homicidium, quodque hoc fuerit casuale, quod est petere principium erroris, in quo numquàm satiatur persistere contrarius Restrictus volendo, ut evanescant Processus, & Sententiæ Capitales, & fuco verborum, & ratiociniorum veritas trudatur in tenebras, super quo piget ulteriùs defatigare calamum, & quantum ad Resolutiones Sacræ Congregationis ex parte nostra allegatas *in S. Severinæ* 12. *Januarii, &* 13. *Aprilis currentis anni* 1726. *& in Uratislavien.* 19. *Augusti* 1724. in vanum laboratur prætendendo diversitatem Casuum, quià non attenditur Casus materialis, sed ratio decisiva, quià nihil refert, an Sententia fuerit Judicis Ecclesiastici in Casu *S. Severinæ* cum delictum probetur eodem modo per sententiam Curiæ laicalis, quæ sit validè lata contrà Clericum non incedentem in habitu, & Tonsura, Immò etiam, quæ sit nulla, quæ saltem in linea Facti probat delictum, & publicam infamiam

facti,

... & Juris, & magis applicabilis est Resolutio *in Uratislavien.* ubi propter Sententiam præexistentem demandatum fuit, ut priùs reportaretur ejus revocatio; Ubi enim eadem est ratio decidendi, id satis est pro applicatione resolutionum, non cura materialitate Facti, ut inquit *Rot. cor. Priol. dec.* 101. *num. 6. & in Segobien. Canonicatus* 11. *Aprilis* 1704. §. *quæ quidem coram Eminentissimo Scotto*, & apud Me *discept. Eccles.*24. *num.*20. & plenè in nostro Restrictu §. 48. *cum seqq.*

44 Nihil denique boni Juris addere potest Advers. motivũ, quod Principalis noster non habet Gratiam Impetrationis expeditam neque signatã, neq; datatã, & ideò sit inordinatus, & impertinens conatus impediendi Gratiam Dispensationis; Hoc enim est aliud classicũ æquivocum specialiter notandum cum distinctione duplicis Casus; Primus est ubi agitur de Dispensatione, quæ de Jure concedi solet, sed tantùm est prohibita ob privatum præiudicium Alterius cui præiudicaretur in suo Jure quæsito, & ubi Papa concedere, non solet, ne præiudicium Iuribus Tertii, & tali Casu verum est, quod probandum sit Oppositorem habere Ius quæsitum ad effectum impediendi Dispensationem, ut firmant *Corrad. in prax. benef. lib.*4. *cap.*6. *num.*3, *Rot. coram Cavaler. decis.*231. *num.*1., *& in Regien. Iurispatronatus* 16. *Ianuarii* 1708. §. *Comperto coram bon. me. Molines, & in Volaterrana beneficii* 7. *Decembris* 1708. §. *Destituto coram Reuerendissimo Crispo*.

45 Alter Casus est, ubi materia non est dispensabilis de sui natura prohibente Iure publico, ut est dispensare Homicidam voluntarium, ut promoueatur ad Ordines Sacros, vel ad Beneficium, seù Dignitatem, ubi Sedes Apostolica numquam dispensare consueuit in promouendo Virum sanguinolentum, quem abhominatur Dominus, quidquid sit in Promoto propter obstaculum Concilii Tridentini, & gravitatem absurdi juxtà Authoritates relatas *in præterito Restrictu* §.42. *cum plurib. seqq.* quod etiam procedit in Diffamato infamia Facti, & Iuris super Homicidio, qui est indispensabilis, ut honoretur, & promoveatur ad honores, & Dignitates iuxtà *Text. in cap. Omnipotens de accusat.* & hoc Casu vanum est allegare, an concurrat, vel non, aliquis, cui præjudicetur in Iure quæsito, quià non agitur de prohibitione ob præjudicium privatum Iuris Tertii., sed de prohibitione propter obstaculum Iuris publici, ex quo Gratia non est concessibilis de sui natura, & ubi Papa, & Sacra Congregatio denegant ex Officio huiusmodi Dispensationem supremi Gradus ipsis tantum supplicantibus, qui recurrant absque Contradictore, qui se opponat, iuxtà Casus Resolutionum, quæ allegatæ fuerunt *in calce præteriti Restrictus*, & in his terminis loquuntur *Faguan. in*

cap.

*cap. Henricus num.*41. *de Cleric. pugn. in duell. Corrad. Amayden. & alii* relati in præterito *Restrictu* §.44. & 45. ubi *Amayden.* refert Casum denegatæ Dispensationis Recurrenti tantum absque Contradictore, licet ad Cauthelam eam petiisset in casu valdè circumstantiatò, & Gratia Digno.

46 Cæterùm in hac materia non intelligitur solùm legitimus Contradictor, qui habet pro se Gratiam iam factam, tu æquivocatur, sed intelligitur etiam, qui pro Contradictore datus, & approbatus fuit in lite desuper habita, ut in præsenti in Dataria Apostolica, ubi Eminentissimus Pro-Datarius ad oppositionem Principalis nostri eiusque Citationes, & Instantias remisit Aduersarium ad petendam Dispensationem in contradictorio Iudicio in hac Sacra Congregatione mediante supplicatione, quæ sola sufficit ad excludendum Aduersarium veluti habens in ventre falsam narratiuam, quod agatur de homicidio casuali, quod ipse nec facto, nec verbo, nec consilio particeps fuerit homicidii, sed casualiter se ibi inuenerit; Agnoscant Eminentissimi PP. quommodo signari possit supplicatio sub hoc falso præsupposito fundata in subreptione nimis evidenti, & intolerabili; Ex quibus satis est fuisse ab Eminentissimo Pro-Datario datum Principalem nostrum pro legitimo Contradictore, ut quærendum non sit de alio, dum approbatus ab habente legitimam potestatem in his Gratiosis est legitimus Contradictor, ut in nostro *præterito Restrictu* §. *final.*

47 Quod vero contrarius Restrictus dicat nescire merita Principalis nostri, quæ Summum Pontificem allicere debeant ad ei concedendam conspicuam Dignitatem, licet responderi possit cum D. Augustino: *in quo alterum iudicas te ipsum condemnas: iuxta Text. in Can. nihil iniquius* 32. *quæst.* 7., attamen nos è contrà dicimus scire homicidium commissum ab Aduersario ex Processu & Sententiis condemnatoriis in pœnam Capitis, & etiam scire, quod Reuerendissimus Archiepiscopus eum non asseruit habilem, & idoneum ad beneficia, & multò minùs ad Dignitates ut in nostro præterito *Summario num.* 25., sed benè ipse asseruit Principalem nostrum esse habilem, & idoneum, & dignum quacunque Prouisione *Summario in calce num.* 5., & ipse contrarius Restrictus admittit standum esse Archiepiscoporum testimoniis in §. 48. iuxtà *Bertacchin. vot. dec.* 100. *num.* 11. *Rot. coram Ansald. dec.* 14. *n.* 17. & *in Cremonen. Beneficii* 2. *Maii* 1718. §. *Verum cor. bo: me: Lancetta.*

8 Et demùm gratis iterum figuratur nullitas Processus quasi non sit integer; Immò in eo deficiant Ædicta, & Citationes Aduersarii: Integritas enim superius probata fuit; Ædicta autem probantur ex Processu iuxtà ea, quæ data fuerunt *Summario num.* 14.,

itaut

itaut vanitas sit cum his minutiis offuscare legalitatem Processus.

Quare &c.

F. M. Pitonius)
Macarius de Valentibus) Aduoc.
Ioannes Faber)
Dominicus Vestilius.

SUMMARIUM

Num. 1. *Visitatio Cappellaniæ facta sub die 5. Augusti 1709. ex qua constat D. Adversarium tunc temporis esse Cappellanum, eidemq; injunctum fuisse adimplementum Missarum.*

A

B

Fr. Bartholomæus de Villavincentio Ordinis S. Dominici obtinuit hanc Cappellaniam.

C

In hac Visitatione Cappellaniæ sequuta die 5. Augusti 1709. Adversarius jam illam obtinebat.

Num. 2. *Ex actis Visitationis hujus Cappellaniæ exadv. deductis constat, quod D. Adversarius sub die 5. Maii 1709. possidebat Cappellaniam.*

Num. 3. *D. Adversarius fuit promotus ad Clericalem Tonsuram sub die 8. Septembris 1709.*

FIdem facio Ego Alphonsus Blanco Notarius Vicariæ hujus Ciuitatis Xerez, qualiter ex Libro mihi exhibito per D. Iosephum de Nato Procuratore Conventus S. Ioannis Dei, cujus titulus est: *Liber in quo adnotantur Visitationes Patronatus, et Cappellaniarum hujus Hospitalis* constat, quod in Visitatione habita in hac Civitate per D. Ioannem Vexerano Visitatorem hujus Archiepiscopatus per acta Michaelis Ruiz Notarii SUB DIE 5. AUGUSTI ANNI 1709. registrata reperitur Visitatio Cappellaniæ, quàm instituit Franciscus de Droxillo hujusmodi sub tenore ut. Cappellania instituta à Francisco de Truzillo, *quàm obtinebat Frater Bartholomæus de Villavincentio Ordinis S. Dominici* eamque dimisit, *et ad præsens obtineri dicitur à D. Didaco de Villavincentio.*

Et in primo margine adest adnotatio infrascripta, rubricata, à dicto Notario. *Obtinet hanc Cappellaniam D. Didacus Nicolaus de Villavincentio* Clericus in minoribus *a die 5. Maii* 1709. *qua decessit Cappellanus antecessor etc.*

Fidem facio Ego D. Emmanuel de Vrrenga Presbyter Secretarius Cameræ Excellentissimi Domini mei D. Ludovici de Salzedo, & Arzona Archiepiscopi Hispalen. & attestor in Matricula Ordinationum, quas celebravit Illustriss. Dominus D. Petrus Franciscus Levanto Episcopus Pacen. & Suffraganeus hujus Archiepiscopatus sub fol. 76. registratum reperiri, quod *die 8. Mensis Septembris anni* 1709. promotus fuit ab eodem Illustriss. Domino ad primam Tonsuram, & duos Minores Ordines D. Didacus Nicolaus de Villavincentio &c. Dedi in Civitate Hispalen. die 11. Febr. 1724. D. Emmanuel de Vrrenga Secretarius.

Fi-

Num. 4.

Fidem facio Ego D. Petrus Florentio de Navarretta Computista Major Collector Generalis Civitatis, & Dioecesis, qualiter in altero ex Registris Collationum ibidem sub mea Custodia reconditis *signato num.* 5. inter reliquas Collationes Cappellaniarum attinentium ad Civitatem Xeres sub fol. 275. registrata reperitur partita tenoris sequent. Cappellania, aliàs fundata in Cappella Hospitalis S.Iosephi Ordinis S.Ioannis de Deo sub invocatione Purificationis Deiparæ Virginis, & Sancti Sebastiani per Franciscum Requilma de Truxillo vacans *per obitum Patris Magistri Fr. Didaci de Villavincentio Ordinis B.M.V. de Mercede* collata fuit D. Didaco Nicolao de Villavincentio Clerico in Minoribus constituto de Civitate de Xerez in vim præsentationis reportatæ à Patrono ejusdem Cappellaniæ sub die 9. Septembris 1709. &c. dedi in Civitate Hispalen. die 9. Martii 1724. Petrus Florentinus de Navarrette.

Enunciatiua, seù Particula Collationis dictæ Cappellaniæ, quæ obtinetur ab Adversario.

P. Mag. D. Didacus de Villauincentio obtinuit hanc Cappellaniam.

D. Ludovicus à Salzedo, & Arcona Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Hispalensis, Catholico Regi à Consiliis &c.

Eminentissimo, & Reuerendissimo DD. S. R. E. Cardinali Pro-Datario, ac quibusvis aliis præsens instrumentum visuris notum facimus, & attestamur *D. Ferdinandum Martinez Dauila Presbyterum in Ciuitate vulgo de Xerez de la Frontera legitimis eisdemque præclaris parentibus natum, in Conventu S. Dominici eiusdemmet Ciuitatis Philosophiæ Sacræque Theologiæ operam dedisse*: Attestamur insuper præd. D. Ferdinandum in nostra Alma Metropolitana, & Patriarchali Ecclesia Hispalensi esse integrum Portionarium, bonæ *honestæ vitæ, & famæ*; non excommunicatum, suspensum, interdictum, neque aliquo canonico impedimento, quod nobis constet irretitum. *Qua propter eum cuiuscunque gratiæ dignum, ac benemeritum judicamus*. In quorum fidem præsentes litteras manu, Sigilloque nostro munitas, ac per infrascriptum Cameræ nostræ Secretarium subscriptas dari iussimus, Hispali anno millesimo septingentesimo vigesimo quarto, die vero vigesima mensis Maii.

Ludouicus Archiepiscopus Hispalensis.

Regist. fol. 67. lib. de exped.

De mandato D. mei Archiepiscopi.

D. Emanuel Vrrunaga Secretarius.

SACRA

CONGREGATIONE

CONCILII

Rmo P. D.

LAMBERTINO

SECRETARIO

Hyspalen. Archidiaconatus.

P R O

R.D.Ferdinando Martinez de Auila.

C O N T R A

D. Didacum de Villauincentio.

Restrictus Responsionis Facti, & Iuris.

Typis Zinghi, & Monaldi 1726.